



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quibus modis accipitur Dei voluntas. F

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

quod est, non inueniat. Ecce his authoritatibus apertè insinuat, quod voluntatis Dei causa nulla est, & ideo quærenda non est.

*Quod voluntas Dei prima, & summa causa est omnium.*

E

Voluntas ergo Dei, vt ait August. in 3. lib. de Trinit. prima & summa causa est omnium specierum atque motionum. Nihil enim fit, quod non de interiori atque intelligibili aula summi Imperatoris egrediatur secundum ineffabile iustitiam. Vbi enim non operatur quod vult Dei omnipotentis sapientia, quæ pertingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, & non solum facit ea, quæ perseverantia consuetudinis admirationem nõ admittunt, sed etiam ea quæ propter raritatem, & insolitum euentum mira videntur: vt sunt defectus luminarium, & terræ motus, & monstrosi animantium partus, & his similia: quorum nihil fit sine voluntate Dei, sed plerisque non apparet. Ideoque placuit vanitati Philosophorum etiam causis aliis ea attribuere, cum omnino videre non possent superiorem cæteris omnibus causam, id est, voluntatem Dei. Itaque non nisi Dei voluntas causa prima est sanitatis, ægritudinis, præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum. Hæc ergo sola est, vnde ortum est quicquid est, & ipsa non est orta sed æterna.

*Quibus modis accipitur Dei voluntas.*

F

Hic non prætereundum nobis, quod sacra scriptura de voluntate Dei variis modis loqui consuevit: & tamen non est Dei voluntas diuersa, sed locutio diuersa est de voluntate, quia nomine voluntatis diuersa accipit. Nam voluntas Dei verè ac propriè dicitur quæ in ipso est, & ipsius essentia est: & hæc vna est, nec multiplicatam recipit, nec mutabilitatē, quæ inexplata esse nõ potest: de qua Propheta ait: Omnia quæcūque voluit Dñs,

R 3

fecit.

*Cap. 4. in medio.*

*Sapient. 8. a.*

*Qua verè & propriè dicitur Dei voluntas, & ea dicitur beneplacitum.*

*Psalm. 113.**Rom. 9. 6.**Rom. 12. 4.*

fecit. Et Apostol. Voluntati eius quis resistit? Et a-  
libi: Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona & bene-  
placens & perfecta. Et hæc voluntas recte appella-  
tur beneplacitum Dei, siue dispositio.

*Quod secundum figuram dicitur voluntas Dei præceptio,  
prohibitio, consilium, permissio, operatio: & ideo plu-  
raliter dicit scriptura voluntates.*

*Psalm. 10.*

Aliquando vero secundum quandam figuram  
dicendi, voluntas Dei vocatur, quod secundum  
propriètatem non est voluntas eius: ut præceptio,  
prohibitio, consilium, nec non permissio & opera-  
tio. Ideoque pluraliter aliquando scriptura vo-  
luntates Dei pronunciat: Vnde Prophet. Magna o-  
pera Domini, exquisita in omnes voluntates eius:  
cum non sit nisi vna voluntas Dei, quæ ipse est, plu-  
raliter tamen dici voluntates: quia volun-  
tas Dei variis modis ac pro diuersis accipitur,  
ut dictum est. Ita etiam idem Propheta propter  
multos effectus misericordiæ & iustitiæ pluraliter  
dicit: Misericordias Domini in æternum cantabo.  
Et alibi: Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda:  
cum tamen in Deo vna sit misericordia, vna iusti-  
tia, & vna eademque sit misericordia quæ iustitia,  
scilicet diuina vtra.

*Psalm. 88.**Psalm. 18.*

*Quare præcepta & prohibitio, & consilium dicantur Dei  
voluntas.*

Ideo autem præceptio & prohibitio atque con-  
silium cum sint tria, dicitur tamen vnum quodq;  
eorum Dei voluntas, quia ista sunt signa diuinæ  
voluntatis; quemadmodum & signa iræ dicuntur  
ira, & dilectionis signa dilectio appellantur; & di-  
citur iratus Deus, tamen non est ira in eo aliqua,  
sed signa tantum quæ foris fiunt, quibus iratus  
ostenditur, ira ipsius nominantur. Et est figura di-  
cendi, secundum quã nõ est falsum quod dicitur; sed  
verum quod dicitur, sub tropi nubilo obūbratur. Et  
secun-